ARCHIVIO GENERALIZIO - Sezione Storica

Chierici Regolari Somaschi

BIOGRAFIE C.R.S.

n. 634

Curia Generalizia - Roma

→ con Biografie CRS n. 634

VEZZANI GIACOMO, Selectarum epistolarum pars prima ad
illustrissimum principem Franciscum Barberinum S.R.E. Cardinalem. Bologna, apud haeredes Bartholomaei Cochij 1626, pp. 580 in 8°:

Copia in: VE, Marciana (214.D.204).

Trascrizione di p. Maurizio Brioli crs.
Venezia, Marciana, 15-15 nov. 2010

- pagg. 432-435: "CLVIII. Iacobus Vectianus Iosepho Grampio **(p. Giuseppe Grampis crs. ndr)** Congregationis Somaschae Clerico. Romam. S.P.D.

Quos **Ubaldini** literis adscripsisti tua manu sex credo, aut septem versus, non minore voluptate legi, quam longos sermones illius, quibus tamen, ut nosti, delector. At nondum plene functus es officio tuo; nisi forte ex iis unus es, qui quod polliciti sunt, id ne sero quidem praestare curant, et pro asse sextantem reddunt, aut summum trientem. Tu non facies spero, mecum praesertim, certe non debes. Nam quid te a scribendo deterret? An quidam subrusticus pudor, qui multorum animos, ubi quid honesti cogitant, occupare solet? At tibi cum isto nihil est, aut esse debet; qui me usus es unus omnium familiarissime. An, quod magis suspicor, reprimit te illa timoris plena cogitatio; non scripturum te aliquid, quod meis auribus satisfaciat? Apage sis cum isto inani, et illiberali metu, qui te, quod scio, atque animum tuum iam nimis diu tenet, immeritatissimo. Abiice, quantum potest longissime: relega <*Ad penitus toto divisos orbe Eritannos*>. An ad ignotum hominem scripturus es? aut ad severum censorem? aut ad facetum irrisorem? At vero si scripseris hoc quo coepisti modo; et ex eorum praescripto, quos assidue legis, tuos exprimere sensus conabere; irridere iure nemo poterit, ego laudare debeo. **Ubaldinum** nostrum audio fulgurare, tonare, fulminare e suggestu, dum scriptas orationes recitat. Imitare istum Iovem quasi novus Salmoneus; nec time fabulosas poenas. Omnino ingeniosus adolescens est **Ubaldinus**, et laboris assidui patiens nunc legendo, nunc scribendo. Tu non hebetiore, ac delicatiore ingenio es: si capite, si lateribus paulo firmioribus esses, pari posses cum illo passu incedere. Spem tamen ne abiicias; in circo currentibus opus erat non tam viribus, quam iudicio: ita hic; ne sis curiosus omnia videndi, omnia legendi. Da te totum uni, aut summum alteri ex optimis; ibi insiste, nec te abripiat cupiditas. Qui frequenter cibos mutat stomachus, frequenter languet: scis, quos tibi laudaverim ex vetustioribus, quos ex recentioribus, eos lege, si potes, omnes; at ordine, et quadam quasi lege, non temere, et casu. Quid repetam quae toties inculcavi? Plautum quanti faciam non ignoras; velim tamen hoc tempore, imo semper, abs te illi praeferri Terentium. Non tibi nunc fales et iocos, et alia, quae istam aetatem, istam vitae conditionem dedecent, discere opus est; sed linguam latinam addiscere, quam a Terentio, a Plauto non item, puram putam; idest mundam, et cultam percipies. Scio te ex veteribus Ciceronem, ex nostris Muretum exinios habere: haud iniuria. Ipsos consule, quanti Afrum illum Poetam fecerint: alterum audies secum semper gestasse, alterum non semel, aut iterum, sed saepius a calce, quod aiunt, ad carceres revertendo lectitasse. An testes istis locupletiores requiris? Scribe autem frequentius quam facis Iosephe, scribe: in eo sita propemodum esse omnia tibi persuade. Quantulum iuvet pictorem aliquem Apellis, aut Zeuxis, aut Polygnoti tabulas attentissimis spectare oculis, admirari, diligentissime observare; si nunquam peniculum arripiat? Quid tibi prosit eos attentissime legere, si calamum nunquam, aut raro admodum attingas? At, quod illis, tibi quoque dictum puta: <*sine linea nullus abeat dies*>. Exerce te, praesertim in isto scribendarum epistolarum stilo. Mirum quantum hic positum sit ad linguam latinam addiscendam momenti. Nec audio, qui aliter sentiunt, aut id minus honorificum putant, quasi non eruditissimi pene omnes fecerint, et nunc etiam faciant. Quod igitur superest temporis aut a legendo, aut iis pertexendis, quae imperat **Moderator tuus**, hici mihi pone, et scribe, ad alios si non vis, ad tuum **Bonfadium**, ad me ipsum, si feceris, erit quod gaudeas in posterum: sin neglexeris, te poenitebat serio, at sero. Nonnihil etiam temporis pomeridiano somno, aut reliquis occupationibus, subtrahe, quod studiis graeciis impendas. Effice ut appareat, aliquid me grece quoque vos docuisse. **Marganus (p. Pietro Margano crs. ndr)** id iam habet fixum et firmum, ut Ricardi compendium ediscat universum; et quotidie ad illius syntaxin, integram Novi Testamenti pagellam, examinat, me audiente. Tu idem facito, et si quid

offendis minus expeditum, transilito. Salve tu, et frater tuus ab his sodalibus vestris. De **Priolo** habeo quod querar, qui literas debet, nec salutem mittit. Hominem mone, ut officii sit memor, et praestet, quod pollicitus est sponte, nec sine testibus, vobis ipsis eius sodalibus. Valete omnes et me amate, qui vos, et quantum fortasse non creditis. Ameriae, Umbriae ocello, ipso Tibure et amoeniore, et frigidiore urbe. Prid. Kal. Iulii".

Verzani Giacomo (Vettiano), Iacobo Vertiani Regiensis Selectarum epistolarum pars prima ad illustrissimum principem Franciscum Barberinum S.R.E. Cardinalem. Bologna, apud haeredes

Copia in: VE, Marciana (214.D.204).

Trascrizione di p. Maurizio Brioli crs.
Venezia, Marciana, 15-15 nov 2010

- pagg. 439-441: "CLX. Iacobus Vectianus Iosephio Grampio **(p. Giuseppe Grampis crs. ndr)** Congregationis Somaschae Clerico. Romam. S.P.D.

Non ausim tibi suadere, nec debeam quidem; ut quem Praeceptor tuus unum mirifice extollit oratorem ex recentioribus, et dictissimo, ac disertissimo eiusdem paulo superioris saeculi viro, Marco Antonio Mureto tam fidenter praeponit, contemnas optimum, cur negem? Et facundum scriptorem; redundantem etiam, et pleno semper fluentem ore. Quin tibi auctor sim, ut diligenter legas, et sedulo imitere: ut autem prae illo reliquos omnes reponas, et quem in oculis fers Muretum tuum, in arca tamquam in carcere inclusum habeas; tantum abest, ut assentiar, ut omnino dissentiam. Si cum eo tibi velitari liceret, hoc uno vellem argumento contentus esses, e medicorum schola desumpto: Quod sapit, nutrit. Non enim puto, si non optimam esse; aut si inter optimas meliorem non esse contendit Mureti lectionem; eandem etiam neque bonam esse, neque utilem affirmarem auderet. Tibi autem satius est iis uti cibis, bonis utique, qui sapiunt ad palatum; quam vel omnium optimis (ut hoc illi demus) parum libenter vesci. Nec mirere tamen N. alioqui modestissimum, eruditum, et exacti iudicii virum ita sentire, sic sumus omnes: quos coepimus a prima illa aetate scriptores amare; cum nare fine cortice, quod aiunt, incipimus, eos omnium amore dignissimos, ceteros prae illis, quotquot sunt, aut contemnendos aut multo, minoris faciendos existimamus. Est et illud haud paulo levioris momenti: ad quorum sumus imitationem natura impellente professores; et quos melius nostro penicillo expressum iri putamus: esse eos omnium praestantissimos evincere volumus. Tibi quid agendum? Si me audis utrique (quantum quidem per valetudinem licet, cuius in primis habenda ratio est) omni studio vacandum; Perpiniano, ut Praeceptori satisfacias, Mureto, ut tibi; ab utroque enim parem poteris utilitatem expectare ad eloquentiam capessendam. Certe quidem si ita scribere perges, ut coepisti, cum Perpiniano legendo vix ullam operam dederis, Mureto plurimam; facile convincas, non eum tibi auctorem reiiciendum esse, a quo post Ciceronem linguam latinam, et scribendi elegantiam non mediocriter percepisse videris. Nam valde latina est epistola tua, elegans, pura, et omnino talis, qualem vix scribant, qui aetatis multum in uno Cicerone pervolutando triverunt. Nec miratus sum, qui sciam id esse moris tui, ut qut omnino cesses, aut agas quod agis. Quapropter non urgeo te, ut frequentissime scribas, cum ne valetudini tuae, qua infirmissima uteris, videar male consulere; tum ut tales literas accipere abs te possim, idest eo meliores, quo tardiores. Si huiuscemodi epistolam aliquam ad **Bonfadium** dares, eruditissimum illum virum, qui te olim puerulum ob ingenii acumen tantopere amavit; quantis illum quoque cumulatum gaudiis redderes! At deest argumentum. Qui potest? Diuturni silentii excusatio, vetus benevolentia, praesens observantia, utriusque linguae studium, nec paenitendi progressus, omnia modeste, ut soles: Iacobus frater tuus suppetias feret, si fit opus. **Prioli** literas expecto, et versus, cum erit commodum videlicet; at preces quotidie et illius, et vestras. **Ubaldinum**, et reliquos salvere iubeo, ut velle me nosti, idest amantissime ac diligentissime. Ameriae. VI Kalend. Iulii".

Vezzani Giacomo (Vettiano), Iacobo Vectiani Regiensis Selectarum epistolarum pars prima ad illustrissimum principem Franciscum Barberinum S.R.E. Cardinalem. Bologna, apud haeredes Bartholomaei Cochij 1626, pp. 580 in 8°:

634 1627c

P. GRAMPIS GIUSEPPE

romano, fratello di P. Giacomo. Professò in S. Biagio di Roma il 6 I 1618. Era stato assieme al fratello convittore nel collegio Clementino.

Dal 1622 é maestro nel clementino. Fu ordinato suddiacono nel dic. 1623; diacono in giugno 1624; poi passò allo studentato di S. Maria Segr. di Milano per perfezionare gli studi, e ivi rimase per alcuni anni. Dopo il 1627 non si hanno più notizie.

CLVIII.

Iacobus Vectianus, Ioſepho Grampio Congregationis Somaſchæ Clerico S. P. D. Romam.

QVos Ybaldini literis adſcripſiſti tua manu ſex credo, aut ſeptem verſus, non minore voluptate legi, quàm longos ſermones illius, quibus tamen, vt noſti, delector. At nondum plenè functus es officio tuo; niſi fortè ex iis vnus es, qui quod polliciti ſunt, id ne ſerò quidem præſtare curant, & pro aſſe ſextantem reddunt, aut ſummum trientem. Tu non facies ſperb, mecum præſertim, certè non debes. Nam quid te à ſcri-

bendo deterret? an quidam ſubruſticus pudor, qui multorum animos, vbi quid honeſti cogitant, occupare ſolet? at tibi cum iſto nihil eſt, aut eſſe debet; qui me vſus es vnus omnium familiariſſime. An, quod magis ſuſpicor, reprimit te illa timoris plena cogitatio, non ſcripturũ te aliquid, quod meis auribus ſatisfaciat? apage ſis cum iſto inani, & illiberali metu, qui te, quod ſcio, atque animum tuum iam nimis diu tenet, immeritiſſimò. Abiice, quantum poteſt longiſſime relega.

Ad penitus toto diuiſos orbe Britannos.

an ad ignotum hominem ſcripturus es? aut ad ſeuerum cenſorem? aut ad facetum irriſorem? At verò ſi ſcripſeris hoc quo cœpiſti modo, & eorum præſcripto, quos aſſiduè legis, tuos exprimere ſenſus conabere; irridere iure nemo poterit, ego laudare debebo. Vbaldinum noſtrum audio fulgurare, tonare, fulminare è ſuggeſtu, dum ſcriptas orationes recitat. imitare iſtum Iouem quaſi nouus Salmoneus; nec time fabuloſas pœnas. omninò ingenioſus adoleſcens eſt Vbaldinus, & laboris aſſidui patiens nunc legendo, nunc ſcribendo. Tu non hebetiore, at delicatiore ingenio es: ſi capite, ſi lateribus paulò firmioribus eſſes, pari poſſes cum illo paſſu incedere. ſpem tamen ne abiicias; in circo currentibus opus erat non tam viribus, quàm iudicio: ita hic; ne ſis curioſus omnia videndi, omnia legendi. Da te totum vni, aut ſummum alteri ex optimis: ibi iaſſe, nec te abripiat.

ripiat cupiditas. Qui frequenter cibos mutat ſtomachus, frequenter languet; ſcis, quos tibi laudauerim ex vetuſtioribus, quos ex recentioribus, quos lege, ſi potes, omnes; at ordine, & quadam quaſi lege, non temerè, & caſu. Quid repetam quę toties inculcaui? Plautum quanti faciā non ignoras; velim tamen hoc tempore, imò ſemper, abſque illi præferri Terentium, non tibi nunc ſales & iocos, & alia, quæ iſtam ætatem, iſtam vitæ conditionem dedecent, diſcere opus eſt; ſed linguam latinam addiſcere, quam à Terentio, à Plauto nō item, puram putam; ideſt mundam, & cultam percipies. Scio te ex veteribus Ciceronem, ex noſtris Muretum eximios habere: haud iniuria. Ipſos conſule, quanti Afrum illum Poetam fecerint: alterum audies ſecum ſemper geſtaſſe, alterū nō ſemel, aut iterum, ſed ſæpius à calce, quod aiunt, ad carceres reuertendo lectitaſſe, An teſtes, iſtis locupletiores requiris? Scribe autem frequentius quàm facis Ioſephe, ſcribe; in eo ſita propemodum eſſe omnia tibi perſuade, quantulum, iuuet pictorem aliquem Apellis, aut Zeuxis, aut Polygnoti tabulas attentiſſimis ſpectare oculis, admirari, diligentiſſimè obſeruare; ſi nunquam penicillum arripiat? Quid tibi proſit eos attentiſſimè legere, ſi calamum nunquam, aut rarò admodum attingas? At, quod illis, tibi quoque dictum puta; ſine linea nulla abeat dies, exerce te, præſertim in iſto ſcribondarum epiſtolarum ſtilo. Mirum quantum hic poſitum ſit ad linguam latinam addiſcendam [illegible]

[illegible]umenti. nec audio, qui aliter ſentiunt, aut ſā minus honorificum putant, quaſi non eruditiſſimi penè omnes fecerint, & nunc etiam faciant. Quod igitur ſupereſt temporis aut à legendo, aut iis pertexendis, quæ imperat Moderator tuus, hic mihi pone, & ſcribe, ad alios ſi non vis, ad tuum Bonfadium, ad me ipſum. ſi feceris, erit quod gaudeas in poſterum; ſin neglexeris, te pœnitebit ſero, at ſerò. Nonnihil etiam temporis pomeridiano ſomno, aut reliquis occupationibus ſubtrahe, quod ſtudijs græcis impendas, effice vt appareat, aliquid me græcè quoque vos docuiſſe. Marganus id iam habet fixum & firmum, vt Ricardi compendium ediſcat vniuerſum; & quotidie ad illius ſyntaxin, integram noui Teſtamenti paginam examinat, me audiente. Tu idem facito, & ſi quid offendis minus expeditum, tranſilito. Saluatu, & frater tuus ab his ſodalibus veſtris. De Priolo habeo quod querar, qui literas debet, nec ſalutem mittit. hominem mone, vt officij ſit memor, & præſtet, quod pollicitus eſt ſponte, hoc ſine ſodalibus, vobis ipſis eius ſodalibus. Valete omnes & me amate, qui vos, & quantum fortaſſe non creditis! Ameria, Vmbriæ ocello, ipſo Tibure amœniore, & frigidiore vrbe, Prid. Kal. Iulij. [illegible]

[illegible]

CLX.

Iacobus Vectianus Ioſepho Grampio Congregationis Somaſchæ Clerico S. P. D.

Romam.

NOn auſim tibi ſuadere, nec debeam quidē, vt quem Præceptor tuus vnum mirifice ex tollit oratorem ex recentioribus, & doctiſſimo, ac diſertiſſimo eiuſdem paulò ſuperioris ſæculi viro, Marco Antonio Mureto [illegible] ſidenter præponit, contemnas optimum [illegible] gem? & iacundum ſcriptorem; [illegible] tiam, & pleno ſemper [illegible] quin tibi au-ctor ſim, vt diligenter legas, & ſedulò imiteris: vt autem præ illo reliquos omnes ſeponas, & quaſi in oculis feras Muretum tuum, in arca tamquam in carcere incluſum habeas; tantum abeſt, vt aſſentiar, vt omnino diſſentiam. Si enim tibi vel licari liceret [illegible] vno vellem argumento contentus eſſes, e medicorum [illegible] la deſumpto. Quod ſi plc, nutrit. non enim puto, ſi non optimam eſſe, aut ſi inter optimas meliorem non eſſe contendit Mureti lectionem, eandem etiam neque bonam eſſe, neque vellem affirmare auderet. Tibi autem ſatius eſt iis vti cibis, bonis vtique, qui ſapiunt ad palatum, quàm vel omnium optimis (vt hos [illegible] temus) parum libenter veſci. Nec [illegible] [illegible] aliòquin modeſtiſſimum [illegible]

exacti iudicij virum ita ſentire. ſic ſumus omnes: quos cœpimus à prima illa ætate ſcriptores amare; cum nare ſine cortice, quod aiunt, incipimus, eos omnium amore digniſſimos, cæteros præ illis, quotquot ſunt, aut contemnendos aut multò minoris faciendos exiſtimamus: eſt & illud haud paulò leuioris momenti: ad quorum ſumus imitationem natura impellente propenſiores, & quos melius noſtro penicillo expreſſum iri putamus: eſſe eos omnium præſtantiſſimos euincere volumus.

Tibi quid agendum ſit, ſi me audis, vtrique (quando quidem per valetudinem licet, cuius in primis habenda ratio eſt), omni ſtudio vacandum: vt Præceptori ſatisfacias, Mureto, vt Perpiniano, vt [illegible] poteris vtilitatem tibi: ab vtroque enim parem poteris vtilitatem ad eloquentiam capeſſendam. Certè expectate [illegible] quidem ſi ita ſcribere perges, vt cœpiſti. cū Perpiniano legendo vix vllam operam dederis, Mureto plurimam: facilè coniicias, nō cum tibi autorem reiiciendum eſſe, à quo poſt Ciceronem linguam latinam, & ſcribendi elegantiam nō mediocriter percepiſſe videris. nam, valde latina eſt epiſtola tua, elegans, pura, & omnino talis, qualem vix ſcribant, qui ætatis multum in vno Cicerone peruolutando triuerunt. nec miratus ſum, qui ſciam id eſſe moris tui, vt aut omnino ceſſes, aut agas quod agis. Quapropter nō vrgeo, te, vt frequentiſſimè ſcribas, cum ne valetudini tuæ, quā ingrauiſſimā uteris, videar malè conſulere;

Epiſtolarum Selectij

lere; tùm vt tales literas accipere abs te poſ-
ſim, ideſt eò meliores, quò tardiores. Si
huiuſcemodi epiſtolam aliquam ad Bonfadium
dares, eruditiſſimum illum virum, qui te olim
puerulum ob ingenij acumen tantopere ama-
uit; quantis illum quoque cumulatum gaudijs
redderes! at deeſt argumentum. qui poteſt?
diuturni ſilentij excuſatio, vetus beneuolen-
tia, præſens obſeruantia, vtriuſque linguæ ſtu-
dium, nec pœnitendi progreſſus, omnia mode-
ſtè, vt ſoles. Iacobus frater tuus ſuppetias fe-
ret, ſi ſit opus. Prioli literas expecto, & ver-
ſus, cùm erit commodum videlicet; at preces
quotidie & illius, & veſtras. Vbaldinum, &
reliquos ſaluere iubeo, vt velle me noſti, facit
amantiſſime ac diligentiſſime. Ameriæ. VI, Ka-
lend. Iulij.

Pericle Fazzini: *IL CRISTO*